



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Joan. Baptistæ Santolii Canonici Regularis Victorini  
Carmina Selecta**

**Santeul, Jean de**

**[S.I.], 1679**

Quae non maria? Lemma Navi, quam habet Lutetia pro Scuto, & calculo,  
hoc anno 1670. insculptum. Lemmatis Expositio

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13401**

*Quæ non maria?*

### LEMMA

Navi, quam habet Lutetia pro Scuto, &  
calculo, hoc anno 1670. insculptum.

### LEMMATIS EXPOSITIO

**N**AM *quæ non maria*, aut tandem quos Gallica  
puppis

Non subeat portus! favet aura: & bellicus, omnis  
Quo tremuit pontus? cecidit furor: æquora latè  
Tuta silent, ludunt mediis Delphines in undis,  
Quin etiam exultans Franci maris incola Triton,  
Libera jam cecinit raucâ commercia conchâ.  
Aspice ut intensis procedat in æquora velis  
Læta ratis, patriæ ut fines post terga relinquat  
Regna aliena petens, totumque perambulet orbem,  
Barbaricis ditanda opibus; Non dira procella,  
Prædonesve maris, junctive aquilonibus austri,  
Non frangent scopuli gazis Orientis onustam.  
Sidere tuta suo est, sternunt sese undique fluctus,  
Et tanto metuunt oneri: Thetis omnibus undis,  
Neptunusque favent, longè & comitantur euntem:  
Donec opum dives Francorum appellat in oras.